



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Satisfit argumentis, quæ nostræ sententiæ opponuntur. c. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

sequi manifestum est, nam ab eo efficitur motus, à quo etiam efficitur distantia, sed distantia in corpore Christi efficitur à solo Deo, si habet aliquam sibi propriam, ut manifestum est, ergo ab eo solo mouetur. At hoc absurdum esse, quis non videat? hinc enim sequeretur, sacerdotem rogatum, quid secum deferat, non posse respondere, corpus Christi, quia non ipse mouet, neque defert corpus Christi, sed ipse Christus seipsum defert: idem de Angelo in annulo existente, qui cum eo mouetur, dicendum est. Cum igitur ille, qui mouet species, aut corpus, mouere dicatur Christum, aut Angelum, sic, ut Christus, & Angelus motu per accidens moueantur ab ipso motu corporis, aut specierum extrinseca solam denominatione deriuato.

CAPVT V.

Satisfit argumentis, quæ nostra sententia opponuntur.

Ceterum cum nostra sententia media quadam via inter oppositas incesse, necesse habet argumenta diluere utriusque opinionis, quatenus ipsi aduersari videntur.

Prima opinionis argumenta diluuntur.

19.

Ad primam rationem Licheri 1. cap. allatam respondeo, non omnem motum realem debere esse intrinsece in ipso mobili, quod realiter moueri dicitur, sed mobile talem denominationem subire posse extrinseca tantum denominatione, siquidem multæ aliæ denominationes extrinsece rebus denominatis cum hac particula, *realiter*, tribuuntur: dicimus enim, Deus realiter creat & tamen creare dicitur, non creatione in se ipso intrinsece, sed in creatura existente: illa enim particula *realiter* non denotat intrinsecam inhesionem formæ, sed reale fundamentum, ex quo denominatio desumitur: sic etiam in nostro casu ea, quæ dicuntur moueri per accidens, realiter dicuntur moueri & mutare distantiam, sicut anima in corpore, & musica in anima: cum tamē in se nec motum, nec distantiam intrinsece recipiant, sed per extrinsecā denominationem earecipere dicantur: id quod multi viri docti, quos cap. 2. allegaui, de motu etiam corporū, quæ mouentur per se, verū existimant & Arist. id non obscure indicant.

Ad secundam rationem respondeo, Angelum quidem moueri per se, & per accidens, ut in 2. & 3. parte nostræ sententiæ explicatum est, neutro autem modo moueri motu intrinsece sibi inhaerente, eo quod distantia, ad quam se motus localis, nullo modo intrinsece conueniat Angelo, nec ratione sui, nec ratione corporis, in quo est, & extrinsece: semper tamen fit intrinseca aliqua mutatio, ex qua prouenit denominatio illa extrinseca motus secundum locum. Primum, cum mouetur Angelus per se, semper variatur in eo motus extrinsecus, quod corporibus vnitur: deinde, cum mouetur per accidens motu corporis, in quo est, semper mutatur intrinsece corpus, cuius motu secundario & per accidens Angelus dicitur moueri.

20. Sea dices, Si Angelus, quando mutat diuersa corpora in diuersa distantia, dicitur moueri extrinseca denominatione tantum, & nunquam mouetur motu intrinsece inhaerente, efficitur moueri semper per accidens: id enim quod per se primo mouetur, habere debet in se motum intrinsece. Respondeo moueri per se primo, non esse moueri intrinseca denominatione, nec moueri per ac-

ARTIC. II.

cidens, esse moueri extrinseca denominatione: quia interdum aliquid mouetur intrinseca denominatione; quod per accidens mouetur, sicut pars integrans in toto, sed moueri per se primo, vel moueri, non motu alterius, nec alio primo motu, sed proprio motu, siue ille intrinsece denominationis, siue extrinsece: & quia dum Angelus per alium modo mouetur, non mouetur motu aliam, sed motu sibi proprio, etiam extrinsece tamen denominante, primo & per se moueri dicitur: contra vero motu corporis mouetur, per accidens moueri dicitur, quia motus corporis ipsum secundario denominat.

Ad tertiam rationem parer solutio ex dictis, & ipsa confirmationem secundæ partis, videtur. dum Angelus per se mouetur, mutari quidem motum realem intrinsecum, sed in eius mutatione non consistere motum formaliter, quia motus illa se non est causa distantie, in cuius variatione posita est ratio formalis motus secundum locum, sed totam distantiam Angelo secundario prout ex corpore, cui coniungitur.

Rationes vero 2. & 3. allatæ pro sententiâ 2. & aliorum nihil contra nostram probare possunt: nos enim scemur, motum Angeli secundum locum siue per se, siue per accidens Angelo conueniat, in extrinseca denominatione positum esse. Ceterum quia non putamus verum id, quod sumunt, & in vniuersum de corporibus dicunt, illis etiam satisfaciendum est. In primis ego dicimus corpora moueri ad formam sibi inhaerentem, quam appellamus *vi*, hæc enim oritur ex propria passione ipsius quantitatis, quam habet & comparatione ad aliud corpus, ut cap. 3. in tertia notatione notabamus, fateor quidē S. Th. & Arist. in 2. cap. allegatis vehementer in eam sententiam inclinare, quæ dicit, motus secundum locum corporibus non fieri ad formam intrinsecam, sed eos interpretari velimus de forma inhaerente, & sit dispositio ad corruptionem: nihil loquimur, quod habilius videtur, collimere ipsi loquutioni, quæ mouet, formam intrinsecam, quæ dicitur in 2. cap. illius variatione motum secundum locum collocare. Ratio vero ibidem allata nihil probat, quod motus secundum locum non fiat ad locum conuenientem, qui est vltima superficies corporis inhaerentis immobilis, sed ad modum illum conuenientem corpori, qui dicitur *vi*; alioquin nec cælum nec in vacuo corpus moueri posset, nec primum mobile ex sententia ipsius Arist. quoniam ipse putat in loco non esse: & corpus in vacuo, & extra cælum moueri certe posset, citius, mus supra disput. 25. cap. 3. Ad 3. tamen ea, quæ dicunt motum secundum locum fieri ad formam intrinsecam, ipsam vero motum intrinsece modum inhaerere, secum pugnantia docere, ut supra cap. 3. probaui.

Ad rationem vero Greg. Arimænis eodem cap. adductam respondeo, quoties corpus quodlibet in aliquo puncto, habere modum illum *vi* inuisibilem quidem, quem tamen, cum incipit moueri, relinquit per vltimū esse in loco, quod vltimū non esse motus, & in quouis instanti, quod tunc esse motus eodem modo habere formam inuisibilem, quæ eodem modo relinquitur, quæ carari potest ad aqua quantitati corporis in locum, cessante motu acquirit certe formam *vi* inuisibilem, quæ latitudinem habet, & dicitur conuen-

quata ipsi mobili, nec est absurdum, ut falso arbitrat Gregor. huic modo corporis, quem appellamus *ubi*, partes successivas concedere.

Ceterum ipse Gregor. arguit hoc etiam modo. Corpus, dum quiescit, non habet aliquem modum: ergo nec dum mouetur, habebit: nam si dum quiescit, haberet modum, posset Deus illum à corpore auferre, nec videretur, sub quo alio modo tunc mobile maneret: signum ergo est talem modum omnino fictum esse. Respondeo, sicut quantitatem terminatam sequitur figura, quam Aristoteles in prædicamento qualitatis constituit, quæ est modus positivus quantitatis, neque potest Deus à quantitate omnem figuram auferre, sed hanc, vel illam semper retinebit, imo vero invariata quantitate, non poterit hanc, quam nunc habet, auferre, sic etiam forma illa, *ubi*, quæ dicitur modus quantitatis communis, auferre nequit omnino à mobili, sed vnam, aut alteram necessario habebit: imo hanc, quam nunc habet quiescens in hoc puncto, semper habebit, nisi inde moueatur. Ex ijs, quæ diximus hic, & in disp. 188. colligere licet, existentiam in loco, quæ convenit Angelis, & corporibus, non esse sub eodem prædicamento, nec in aliquo vniuoco conceptu conuenire. Nam *ubi* corporum est forma intrinseca, *ubi* autem Angelorum est extrinseca tantum denominationis, ut dictum est. Neque vero oportet Theologum; aut philosophum sollicitum esse in assignandis varijs speciebus, & generibus prædicamenti *ubi*, siquidem alia sunt ex sex vltimis, in quibus vix, aut nullo modo assignari possunt, ut in quando & habere, contingit. Cum enim Aristot. hæc sex vltima prædicamenta assignauit, non voluit ea subire leges omnium aliorum: sed hæc veluti capita præcipua assignauit cum alijs, ad quæ reducerentur res omnes, de quibus disputari solet.

CAPVT VI.

Moueri potest Angelus motu continuo.

S. Th. in 1. d. 37. q. 4. a. 1. videtur docuisse, motum Angelis non est continuum: quam sententiam secutus est Hibernicus, quem refert Gregorius: omnes tamen allegati Doctores supponunt hoc genere motus continui angelum posse moueri, id quod expresse tradiderunt idem S. Doctor in hoc art. Caiet. & recentiores omnes Thomistæ ibidem, Ferrar. 3. contragent. cap. 102. §. Ad evidentiam primi dubij. Scotus in 2. d. 2. q. 9. Maior q. 12. conclus. 2. Mar. in 2. q. 7. cond. 3. & 4. & fusc. Gregor. in 2. d. 6. q. 2. neque video, quia ratione id possit negari, siue dicamus angelum in loco esse per operationem transeuntem, siue alia ratione, dummodo dicamus esse in loco diuisibili: quocumque enim modo facile intelligi potest angelum ita moueri, ut paulatim, & successive tantum deserat loci, in quo erat, quantum acquirit de nouo, siue motus secundum locum fiat in eo per extrinsecum tantum respectum siue per intrinsecam formæ variationem: an vero ad rationem motus continui necesse sit transiri omnia loca intermedia, dicemus in explicatione art. seq. Ceterum, cum omne, quod mouetur motu continuo, & successiuo, partim esse debeat in termino à quo, & partim in termino ad quem, teste Arist. 6. Physic. cap. 4. & 10. id optime explicat in Angelis S. Thom. in hoc art. in solutione primi: non quod angelus secun-

Vasquez in 1. p. 100. 2.

dum aliquā sui partem sit in termino à quo, & secundum aliam in termino ad quem, hoc enim ei repugnat, cum partes non habeat, sed quia habeat partem termini à quo, & partem ipsius termini ad quem: utrique enim assimilatu, & appropinquat.

Occasione vero huius doctrinæ fuscus disputat *Scotus in 2. d. 2. q. 9. §. Ad argumenta in solutione 3. principalis*, an punctum, si posset esse separatum, moueri posset continuè & contra Aristot. probat continuè per lineam moueri posse, omnesque illius rationes dissoluit, quatum aliqua non militat contra motum angeli, nisi illa. Omne, quod mouetur partim est in termino à quo, partim in termino ad quem. Aristot. namque plane intelligit de parte mobilis, non de parte termini à quo, & ad quem, sufficit tamen, ut S. Th. exposuit, si mobile partem habeat vtriusque termini, etiam si ipsum in se partes non habeat, ut Angelus. Questionem autem de motu puncti philosophis disputandam relinquo: mihi enim non videtur impossibile illud moueri, si separatim esset, sicut mouetur continuum: atque eadem ratione, si angelus in loco diuisibili esse posset, eodem modo continuo per lineam posset moueri. Hic solet disputari de mensura motus angeli, de qua satis dictum est disp. 36. cap. 1. vtrum vero angelus in motu discreto moueri dicatur, quando est in termino à quo, an quando est in termino ad quem, videbitur infra disp. 197. cap. 4.

ARTIC. II.

Vtrum Angelus transeat per medium.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod angelus non transeat per medium. Omne enim, quod pertransit medium, prius pertransit locum sibi æqualem, quam maiorem. Locus autem æqualis angeli, qui est diuisibilis, est locus punctualis. Si ergo angelus in suo motu pertransit medium, oportet, quod numeret puncta infinita suo motu. Quod est impossibile.

2. Præterea. Angelus est simplicioris substantiæ, quam anima nostra, Sed anima nostra sua cogitatione potest transire de vno extremo in aliud, non pertransiendo medium. Possum enim cogitare Galliam, & postea Syriam, nihil cogitando de Italia, quæ est in medio. Ergo multo magis angelus potest de vno extremo transire ad aliud, non per medium.

Sed contra, si angelus mouetur de vno loco ad aliud, quando est in termino ad quem, non mouetur: sed mutatus est. Sed ante omne mutatum esse præcedit mutari. Ergo alicubi existens mouebatur. Sed non mouebatur dum erat in termino à quo. Mouebatur ergo dum erat in medio. Et ita oportet, quod pertransit medium.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, motus localis angeli potest

Rr 3

test